

excolamus, quæ in omni doctrinarum genere tantam habet utilitatem, ut nemo etiam Eloquentiâ summâ præditus, de ejus præstantiâ ac amplitudine satis sufficienterq; pronuntiare possit; ~~cujusq; cognitione destituti, ad Superiora quidem nonnulli adspirare conantur, sed (ut mollissimè dicam) infelicissimè. Certo certius est:~~

*Qui studium Ausonio non jungit nempe Pelasgum,
Ille viri docti nomen habere nequit.*

Ne utiqvam ergò audiendi illi sunt, suo quidem ~~judicio non indocti~~, qui, æquè ac vulpes, quum amisisset caudam, nitebatur cæteris persuadere, ut tanquam rem supervacuum, & onus minimè necessarium, eam ressecarent, Græcarum literarum rudes, sandaliumq; culpantes, quum Venerem non possint, socios quæerunt, ne soli sine caudis, turpiterq; deformati, & ignorantes incedant. Quum enim omnium Artium parens Græcia semper exstiterit, Latinumq; Sermonem non disciplinis modò; sed verbis etiam locupletarit, quicquid ferè eximium in Latinorum scriptis inveniri potest, id solùm Græcis in acceptis ferendum.

Etenim -- *Græcis ingenium, Græcis dedit ore rotundo
Musa loqui.* Quod & ipse Romanæ Eloquentiæ Parens Cicero fateatur, qui, nisi se totum ad Græcorum imitationem contulisset, nunquam ad tantam rerum cognitionem, dicendiq; facultatem pervenisset. Sed inquirunt: versionibus & Commentariis satis instructi sumus, cur ergò Linguas discamus? quasi dicerent: nos possumus ab aliis duci, cui bono ergò oculi? Discamus, discamus hanc linguam, præsertim *Juvenilibus annis*, quum

Luxuriant animi, corpora & ipsa vigent.

Namq; ubi jam validis quassatum est viribus ævi

Corpus.